



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118626

§. 101. Pietatis erga Beatissimam Virginem in Belgio institutæ exercitium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

Sæcul. XVI
A. C. 1566.

nos humillimi Majestatis Regiæ subditi, nunc ergo deliberabatur, an non adjungerent suum singuli nomen, sed pluribus id periculosum videbatur, ne per occasionem exigendi ab absentibus nomina, circumlato per urbes libello, plures sollicitarentur. Conjurati hoc responso ad suum libellum dato parum contenti a Gubernatrice petebant, ne gravaretur testatum facere, quod omnia, quæ ab eo Nobilium conventu facta essent, pro Regis obsequio, utilitateque fuissent: at cum id extemplo negaret Margarita, atque affirmaret, quod tempus, eorumque facta satis id omnibus testarentur, quo audito omnes discesserunt.

§. CI.

Pietatis erga Beatissimam Virginem in Belgio institutæ exercitium.

*Strada l. c.
Spond. hoc
ann. 15.*

Ceterum numismata, quæ confœderati suis collis appensa gerebant, novæ pietati erga Beatissimam Virginem instituendæ inter Belgii Catholicos ansam præbuere; quippe Philippus Croyus Areschoeti Dux Hallim urbem tertia Bruxellis leuca distitam religionis causa profectus est, ac Beatissimam Virginem, quæ ibidem magna fidelium veneratione asservatur, honorare statuit: insuper ejus Divæ Virginis

nis imaginem Filium Jesu complexu
foventis exprimi argenteis aliquot
numismatis curavit, cum vero is Guesio-
rum societati vehementer adversaretur,
inde redux ejusmodi numisma in
pilei sui spira gestavit, illudque ab iis,
qui cum eo erant, deferri voluit, velut
theseram, qua ipsi ab iniquæ socie-
tatis fautoribus discernentur: quam-
primum igitur Dux Bruxellas vene-
rat, multi Nobilium eum imitan-
tes hujusmodi capitis insigne de-
ferrebant, eorumque numerus brevi
plurimum augebatur. Hoc pietatis
studio summopere gavisâ Gubernatrix
rem Pio V. Pontifici perscripsit, qui
comprobata hac devotione, ac Catho-
licorum religione numismata illa rite
sacrabat, atque iis, qui sacros ejus-
modi nummos pie gestarent, ac quas-
dam preces funderent, noxarum ve-
niam indulfit.

Sæcul. XVI.
A. C. 1566.

§. CII.

Novus libellus Gubernatrici porrexitus.

Interea Brederodus, priusquam Bru-
xellis discedebat, postulata firmatu-
rus ad Gubernatricem rediit, eumque
comitati sunt Ludovicus Nassavius,
Bergensis, & Culemburgius Comites,
præcipui Guesiæ factionis fautores, qui
una-

Thuan. l. 40
Strad. l. 5.